ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE PESTE

QUAM

CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMÆ IN ILLUSTRI ACADEMIA IULIA FACULTATIS MEDICAE

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO CLARISSIMOQUE

HERMANNO CONRINGIO

Philosoph. & Med. D. & ibidem Professore public, longe celeberrimo, ac collegii Medici hodie Decano spectabili &c Præceptore & promotore suo ætatem venerando

PRO LICENTIA

Summos honores & Privilegia Doctoralia in Arte Medicâ rite consequendi, publice horis ante & pomeridianis proponit

THEOPHILUS MATTHÆUS

HILDESIENSIS

IN MAGNO JULEO

Ad diem 29 Novembr. Anno CIↃ IↃ C LIX.

HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI, Acad. Typ.

M DC LXXIIX. Duplicate

5


BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

THESIS I.

GEnus humanum, post lapsum primorum parentum, originalis peccati contagione pollutum, insitâ pravitate, à divinorum mandatorum tramite declinans, seque in omnia vitiorum genera ultrò præcipitans, justo licet Dei judicio infinito propemodũ gravissimorum sæpius morborum corripiatur agmine; ex omnibus tamen sævitiâ ac malignitate immani truculenta facilè tenet primas Pestilentia. In cujus naturam disquisitionem in præsentiarum instituere, animus est. Quam statim imploratâ prius ope divinâ aggredimur.

II.

Cæterum ne ambiguitas vocis, veritati indagandæ sit impedimento, cum cujusvis disputationis principium, etiam juxta Galeni monitum, ab ipso rei nomine sit desumendum, serio id quoque nobis jam incumbit.

III.

Dicitur ergò Pestis, sive à *πέσειν* quod cadere, aut prosterni denotat; Sive à *pessum*, quod quos semel corripuit, facilè pessumdet; Sive à *pascendo*, quod instar belluæ venenatæ urbes integras depascat, & regna funditus evertat; Sive à *perimendo*, quod in morem jaculi de repente adoriatur mortales. Sive aliundè verò sit dicta, parum aut nihil morabimur, dummodo effectus nemini ac nulli sit incognitus.

IV.

Pro evitanda autem vocis æquivocatione, ſciendum eſt 1. & *in genere* ſignificare Peſtem rem quamcunque perniciosam quæ damnum aut exitium inferre apta nata ſit. 2. *Sæpiùs Galeno* ita audire ſtatum ſeu conſtitutionem anni peſtilentem, hujus morbi feracem 3. *in ſpecie* morbum perniciosiſſimum, ac periculoſiſſimum, quo qui laborant, plurimi intereunt, alioſque plerumque inficiunt. Græci hoc malu m λοιμὸν καὶ νόσον λοιμικὴν: Galenus ἐπιδημίαν ὀλέθριον; Latini *Labem*, alij *Contagium* dicunt. Germani ſervatâ Latinorum denominatione die Peſt oder die Peſtilentz/ das ſterbend indigitant.

V.

Quò magis vero, & in quantum licet, exacta hujus morbi poſſit reddi definitio, aut potius deſcriptio, meritò prius de ejus genere conſtare nobis debet. *Maſſarias* etenim cum aliis, ad nullum directè morborum claſſem malũ hoc pertinere, ſed omnium omninò formam induere poſſe putavit; nec enim eſſe nomen certi cujuſdam morbi, ſed commune omnibus iis, quibus hæc duo accidunt; ut ſint à vulgari, ſive Epidemiâ, cauſâ & pleroſque interficiant; idq; eò maxime confirmari, quia tam multa ac diverſa ſecum juncta habeat Peſtis morborum & ſymptomatum genera. Verùm enim verò, etſi non diffitemur, vario quaſi malorum colore fucatam, & multiplici ſymptomatum catervâ ſæpius ſtipatam Peſtem prodire in hanc mundi ſcenam; accuratè tamen attendendum hic eſt, ne accidentia, quæ pro variâ corporis humorumque conſtitutionè alia alios exercent, pro morbo accipiantur primario. Inſequntur enim Peſtem quidem Symptomata varia, ſed quoniam ſuâpte naturâ tam truculenta non ſunt, ut omnes exitio proſternant, hinc ad Peſtis eſſentiam propriè non pertinent

ſed

ſed per accidens eveniunt. Qualia cumprimis multa obſervavit, & poſteritatis memoriæ tradidit *Rolandus Capellutus libello de Peſte Parmenſi*, quem Ampliſſimus Dominus Præſes publicari curavit.

VI.

Alii cum viderent Peſtem eſſe contagioſam, vel ſaltem plurimos uno eodemque tempore regionis aut urbis alicujus incolas invadere, morbis Epidemiis rectius adnumerari illam perſvaſum habent. Et tamen melius fortaſſe ſentire videatur *Euſtachius Rudius Lib.1. Practic, cap.30.* dicens: morbum eſſe Epidemium, ad peſtis eſſentiam haud pertinere, ſed accidens quoddam eſſe, ab ejus naturâ prorſus extrinſecum, quod nimirum cauſam peſtilentiæ communem, vel ejus effectum contagium inſequatur. Quapropter etiam *Sennertus lib. 4. de Febribus cap.1.* concludit: Si vel unus in urbe peſte corriperetur, eundem peſte laborare non negandum propterea, quod ſolus ille laboret. At verò diſtinguendum arbitramur inter Peſtem, & morbum peſtilentem aut peſtiferum. Peſtis enim vox, apud omnes ſcriptores Græcos pariter ac Latinos morbum communem ſemper ſignificat; Peſtilens verò etiam ille eſt, qui nondum actu eſt communis, modò eâ ſit naturâ, ut facilè communis reddi poſſit. Perinde ſcilicet atque in republicâ cives interdum ſeditioſi reperiuntur, ſeditionem tamen aut non, aut nondum moventes. Quo ſimili rem hanc egregiè illuſtrat eximius Philoſophus pariter & Medicus *Philippus Scherbius in Theſibus de peſtilentiâ num.7.* Porrò & hoc obſervandum, omnem quidem peſtem eſſe Epidemiam; Utrum verò omnis etiam ſit contagioſa, nondum perinde compertum eſſe. Certè negarunt hoc ipſum tres illi *Hieronymi* in Scholâ Patavinâ clariſſimi, *Mercurialis, Capivaccius,*

Aquapendens, inque Germaniâ nostrâ celeberrimus *trium Imperatorum Archiater Johannes Crato.*

VII.

Nonnulli porrò Pestem alicubi morbum esse Endemium opinantur, eâque perpetuo Syriam & Ægyptum, sæpius Cayrum & Constantinopolim affligi autumant. Verũ, cum neque istis locis Pestis sit perpetua, nec statas planè periodos observet, sed perquam inordinatè, pro causarum varietate & inconstantiâ, loca isthæc invadat; neque hoc probabile nobis esse videtur. Namque in populosis urbibus, ubi maximus hominum est confluxus, observare quidem licet, ferè nunquam non grassari aliquid quasi pestilens; attamen verè pestilens malum illud non esse videtur, alioquin non adeò clementer sese gereret. Multò minus est Pestis ipsa; ut quæ vere & reâpse commune aliquod malum sit.

IIX.

Cæterùm scholæ Medicorum, juxta triplicem partium constitutionem, tria prima atque summa morborum genera constituentes, partem similarem ab intemperie lædi, dissimilarem deformari à malâ compositione, utramque divelli unitatis solutione docent. Hinc verò evidenter sanè manifestum est, in duorum posteriorum classem minimè posse Pestem referri. Quamvis sanè bubones, carbunculi, aut pustulæ Pestem sæpius comitentur; hi tamen secundarij duntaxat morbi sunt, eòque cum primario minimè confundendi, præsertim cum à Peste interdum absint.

IX.

Atque hinc quidem videtur jam statim patêre, omnem Pestem orbum esse intemperiei. Quin imò, ut hoc ipsum eò magis persvadeant, contendunt multi clarissimique Medicorum, ut *Fracastorius, Massarias, Portus, Horatius, Augenius; Johannes Heürnius, Thomas Jordanus,* alijque complures in

omni

omni peste semper adesse febrim. Oppositum tamen tenent *Columba, Cornelius Gemma, Sennertus* & alij, eo prætextu, quod primum nulla intemperies subitò existat, sed aliquam saltem postulet moram, dum partibus se insinuare possit, Pestis autem subito celeriusque quam ut talis fiat impressio, ingruat; Quod secundo nulla intemperies tantis tamque subitis stragibus urbes agrosque cumulet, uti fit à Peste. Et vero fidem facit historia, etiam ante triennium Neapoli quotidie tria millia, ac spàcio quinque mensium, ut jam olim Constantinopoli imperante Leone Isaurico, 300000 hominum peste periisse.

X.

Itaque in nullâ morborum triplicis illius ordinis classe locum invenire Pestem, autumant illi recentiores, sed aliam Pesti familiam quasi adscribunt, eorum scilicet morborum, qui phrasi Galenicà καθ' ὅλην τὴν ὀσίαν appellentur, quosque ipsi in occultis qualitatibus, quæ ab intemperie planè sint distinctæ, constare arbitrantur. Cæterum *Galenus* quidem, per totam substantiam, non oculta s intellexit qualitates, quæ à formâ etiam oculta procedant; sed totum adeò rei essentiam, quatenus opponitur qualitatibus, ut totum opponitur parti. Hinc dicit ille, alia agere per qualitatem, id est, per hanc, aut illam qualitatem, alia vero totâ essentiâ, id est, per omnes qualitates simul sumptas, quæque adeò ita simul sumptæ constituunt totam cujuslibet rei essentiam. Ideoque cum omnium partium corporis viventis essentia, non nisi debito temperamento, decenti conformatione, & legitimâ partium unione ex Galeni sententiâ absolvatur; saltem hoc manifestum est, Galenicæ doctrinæ nequaquam esse consentaneum, quod morbi totius substantiæ in occultis qualiatibus partium hæreant, aut quod constituant morborum novum aliquod genus, præter

ter tres illas classes. Ad hoc nullo potest firmo argumento ostendi, quicquid etiam hi recentiores dixerint, ad essentiam partium corporis nostri, sive similarium, sive dissimilarium, occultas aliquas qualitates pertinere: eoque non potest probari, dari aliquod in illis qualitatibus occultis singulare morborum genus. Per se porrò claret, si quæ etiam sint in partibus occultæ qualitates, eas non absolvere totam partium essentiam, atque adeò ineptè à recentioribus vocari illarum qualitatum affectus, morbos totius substantiæ. Illi scilicet demum morbi merentur hoc nomen, qui essentiam partis viventis omnimodo corrumpunt, quale quid fit quando caro aut sanguis in pus resolvuntur. Fatemur scilicet aliàs etiam nos, dari morbos formæ, quos nonnulli appellant: imò profitemur omnes morbos esse morbos formæ, utpote cum omnes essentiam partium similarium aut dissimilarium lædant, sive intemperie, sive malâ conformatione, sive unitatis solutione. Quod tamen latius agitare non est hujus loci.

XI.

Pestem porrò proprie loquendo esse morbum totius substantiæ, ostendi non potest. Non sane experientia probatum est hactenus, in Peste vel integri corporis, vel unius partis totam essentiam, sive totam substantiam, quod perinde est, ita corruptam esse, ut hinc strages illa pestilens exorta sit. Calidum tamen vitale vehementer affici in omni peste, certo constat, utpote cum in hujus exstinctione mors, quæ pestilentes morbos adeò frequenter excipit, collocata sit. Affici verò illud ita potest, etiam à solâ intemperie, quæ tamen vehementer calido nostro vitali adversatur, atque adeo non est vulgaris. Hinc non etiam dubitamus referre Pestem ad morbos

bos

bos intemperiei, non quarumvis quidem partium, sed cordis potissimum, & quidem inquantum cor est sedes nativi calidi. Neque verò ullius sunt momenti, ea quæ thesi IX. in contrarium adduximus: ac proinde nec in illorum confutatione nunc occupabimur. Nec tamen etiam propterea dixerimus, quod alii faciunt omnem pestem esse febrem, aut febrem esse primarium quorumvis pestilentium morborum affectum. Credimus enim & nos; febrem interdum â Peste abesse, quamvis illam plærumque comitetur, & quidem interdum hectica, pestilens maximè sit communis & perquam vehemens Pestis species.

XII.

In universum igitur, Pestis omnis est morbus Epidemius summe pernitiosus, vel magna ex parte lethalis: aut, ut cum Galeno duobus verbis loquamur, Epidemia perniciosa. Essentiâ porro pestilentis illius affectionis consistit in vehemente quadam & subita intemperie, apta calorem nativum facile extinguere.

XIII.

Investigatâ Generis & quasi Formæ pestilentium affectuum notione, ad inquirendum subjectum ipse nos ordinis invitat ductus. Ubi jam statim sine ultiore laboriosa inquisitione se nobis sistit Cor, viscus primarium humani corporis, arx vitæ, calidi innati sanguinisque fons & scaturigo. Quantocyus etenim virulentus hic hostis incursionem fecerit, illicò sanè præceps insequitur vitalis roboris dejectio atque oppressio, & hoc ipso pestilens quisque affectus hominibus maximè est noxius, illa autem vitalis calidi repentinâ labes, non potest alibi, quam in corde, quod quasi fons est caloris vitalis, primo & per se contingere: ceu jam ante disputavimus. Quamvis verò in omni omnino peste cor primario laborare censeamus, non negamus tamen alias

 quoque

quoque partes afficit: tantum id volumus, in illarum partium affectionibus ipsam pestilentium morborum (in quantum sane sunt pestilentes, sive usque adeò perniciosi) naturam & vim haud esse collocatam. Quocunque scilicet loco stabuletur materia pestilens, singulari antipathiâ cor calidumque nativum primariò semper afficit & infestat, ut homo sæpe subito ac multò citius quam pro mali istius, quo cum conjungitur naturâ, pereat.

XIV.

Observari autem hic omnino meretur, quod quædam Pestes in communi soleant certas corporis partes, præter cor vehementer afficere. Sic ab Ægineta prodita memoriæ est colica Pestis *l.3. c.43.* Peripneumonica Pestis Fracastorio memoratur. Pestis pleuritica descripta est à Joanne Wiero. Ab aliis Phrenitides, Dysenteriæ, & hepatitides pestilentes narrantur. Anginosa quoque Pestis à non uno observata est. Similis fuisse videtur Neapolitana illa *male in canna* vulgo tum dicta; quâ anno 1617. brevi temporis spatio *ad sexaginta millia infantum, hanc enim ætatulam cumprimis adoriebatur, præter innumeros cujusvis conditionis homines, intra septimum ab invasione diem, nihil proficientibus antidotis, extincta sunt*, ut refert Athanas. Kircherus *l. de peste Sect.* 1 *c. 9.* Mercurialis meminit cujusdam Pestis, quæ pedes, tibias, atque os ita infestabat, ut intra triduum correptos plierosque perimeret. Notata & Georgio Agricolæ Pestis, est quæ homines veluti stupefactos sideratosque omnibus membris conficiebat: item alia, quæ totum ferè corpus in putredinem verminosam resolvebat. Nemini porro ignota est Pestis illa, quæ sudoris Anglici nomine usque adeò toti Europæ avorum memoria fuit infesta: quæ reapse fuit colliquatio humorum omnium corporis in serum. Omniũ maxime vulgaris est Pestis, quam nunc bubones, nunc car-

bunculi,

bunculi, nunc petechiæ pestilentes consequuntur. Observandum porro & hoc est, interdum in Peste varias corporis partes affici sed non æque communiter, sed in aliis alias. Quale quid cumprimis factum esse in memorabili illa peste Atticâ ex Thucididis historiâ, in Parmensi ex Rolando Capelluto omnino dignum est petere.

XV.

Ad subjectum Pestis hoc etiam pertinet, quod quidem plerumque sine discrimine in Peste homines afficiantur, & laborent: interdum tamen Pestis nonnisi certos homines corripiat, discrimine observato, ætatis, sexus, natalium, aliarumque rerum. Perinde scilicet, atque in aliorum animantium genere, pestes aliæ boves, aliæ oves, aliæ porcos, aliæ pisces duntaxat aut alia animantia tollunt è medio. Talis fuit illa Pestis quâ unâ nocte omnes primogeniti Ægyptiorum, salvis Israelitis, reliquisque omnibus, perierunt. Talis fere illa Neapolitana, cujus modo meminimus, quæ præcipuè sæviit in infantes. Narrant, inquit Kircherus l.c. Valentiæ in Hispaniæ anno 1648. pestem derepente exortam: primò quidem præter sutores nullum alium invasisse, tandem omnes illos qui crepidis calceisque ab iis coemptis uterentur, adortam fuisse, atque hoc pacto serpente contagione mox universum regnum invasisse, Ejusdem Kircheri verba hæc sunt sect. 2. c, 3. Pestis subinde juvenes, nonnunquam mulieres, interdum virgines aut gravidas tantum invadit, virili vero sexui parcit. Observatum fuit à Mercuriali, Pestem invaluisse tempore Juliani Apostatæ, quæ tertiam tantum ordine domum invaderet, intermediâ ab omni contagione libera: cujus tamen incolæ, dum desertà statione pestem vicinam fugiunt puriorem aerem quæsituri, tunc tandem peste occupati, ubi minimè putabant interiere. In America indiginæ certis morbis conta-

 gione

gione plenis infestantur immunibus ab iis Europæis. Refert Ingrassia Basileæ Pestem invaluisse quæ solos Helvetios infestarit, minime Gallos aut Italos. Quosdam tempore Gregorij magni sanos adhuc & viribus robustos, veluti fulmine quoddam sagittatos, alios solâ sternutatione aut oscitatione concidisse memorant. Memorant & Historici Franciæ, Pestem quandoque in solos nobiles & divites sæviisse, non in pauperes & mediocris fortunæ homines. Tempore Cæsaris Maximini Pestis in solos paganos sive ethnicos, minime Christianos suas explicuit vires. Hæc omnia Kircherus. Quorum similia cum à compluribus aliis memorentur, non est quare in dubium vocari debeant.

XVI.

Cæterum de subjecto pestis forte plus est satis dictum: ad causas nunc progrediendum est, cum autem causarum aliæ sint remotæ, alia proxima, quæ illarum est effectus; quænam sit proxima efficiens Pestis causa, ante omnia quærendum erit. Jam verò in omni Peste eximiam aliquam putredinem facile est observare: eoque non equidem dubitamus perniciei illius omnis pestilentis causam proximam collocare in malignâ, sanguinis cumprimis, tandem vero & aliarum solidarum corporis pactum putredine, quæ tantâ, nimirum est, ut plærumque sit læthifera, semper verò perquam infesta calido vitali cordis. Vidit hoc ipsum etiam Galenus noster: eoque febrem pestilentem, inter putridas collocavit: cujus solâ autoritate moti, perquam multi Medicorum, in eandem sententiam concesserunt. Huc pertinet etiam illa Andreæ Cæsalpini *disputatio l. I. Quæst. Medic. XII.* quâ probat: Febrem pestilentem solâ putredinis malignitate, non loco, differre à cæteris. Præbet verò putredinis illius indicium, is qui statim initio ex peste affectis corporibus exhalat fœtor, præprimis fœtor anhelitus,

litus, & dolor capitis ex putridis evaporationibus exortus. Eadem proditur cadaverum peste confectorum subitâ contabescentia & intolerabili plerumque fœtore, ac verminosa putrilagine. Et verò in dissectione etiam bubones innumerabili vermium minutissimorum fœtura refertos, observavit nuper Julius Placentius Medicus Romanus teste Athanasio Kirchero *sect. 2. cap. 4 de Peste.* Nec dubito ad illum modum semper illos sese habere & habuisse, etsi olim observari id non potuit, ob smicroscopiorum defectum: cum jam olim Galenus *lib. 3. Epid. in 3. Epid. 24.* docuerit: tuberculos pestilentes aut non suppurari, aut in putredinem diversam à pure abire. Facit huc, quod idem refert *sect. 1. §. 4.* Observatum fuit, inquiens, à vespillonibus fide dignis, iis in locis, ubi pestifera lue extincti sepeliri solent, omnes circumsitas plantas dictus vermibus insectisque ita scatere, ut qui non propriis oculis compererit, ut id credat, induci vix possit. Ajunt autem esse æruginem quandam, non similem illi, quam singulis annis herbæ statutis temporibus generant sed degeneris omnino & spuriæ, sive formam sive colorem spectes naturæ. Jam tum olim verò proditum Aristoteli, aliisque, insecta plæraque, non vermes, ex putridis humoribus generari: aut quæ sunt putrida, eorum plæraque facillime reddi verminosa. Unde & Lucretius dixit:

—— obnoxia cuncta putrori,
Corpora putrores insecta animata sequuntur.

Neque tamen quis temere credat, id quod nuper demum Kircherus conatus est persuadere: *omne putridum ex se & sua naturâ vermes generare:* etsi illa laus meritò huic viro ingenioso atque summe industrio debeatur quod smicroscopii ope multis præclaris novis experimentis veterem doctrinam illustraverit *sect. 1. cap. 7. §. 1. & 2. libri de peste.*

 Perin-

Perinde ac Sennerto ejusque sectatoribus nemo temere crediderit, ex putredine vivum nihil generari posse. Quomodo enim cum putredine interdum conjuncta sit generatio, interdum non, docuit Amplissimus Dominus Præses *l. de Fermentatione c. 3. & 4.* Nec tamen verminosam illam putredinem propterea ab eodem Kirchero accurate esse dictam credimus *sect. 2. cap. 4. Pestem plerumque esse animatam.* Perinde nimirum illud ἀκύρως dictum, atque ab alio quopiam ridicule *viva mortis imago* in scenam est producta. Tales nimirum loquendi rationes, in poëta quidem laudaveris, in philosopho tamen nemo sapiens toleraverit: ne quid nunc dicam de ineptiis queis vivas illas mortes auctor voluit orbi persuadere. Ostenditur verò denique putredo in pestilentibus morbis latens, etiam ex eo, quod ceu (mox pluribus docebimus) plerumque Pestis à manifeste etiam putridis rebus soleat produci. Quod enim putridum est, id alia quoque putrescere apta in putredinem resolvit. Ut non possint non humores nostri corporis à rebus putridis infecti (quod fit in peste) etiam ipsi computrescere.

XVII.

Posse verò à putredine oriri omnia Pestis symptomata non est cur quis dubitet. Nullum certe quisquam symptoma pestilens nominaverit, quod non ad illam tanquam causam facili negotio referri possit. Nec verò est, quod cui videatur minus verisimile, citò adeo putredinis vim posse in corpore nostro invalescere, perinde atque videmus Pestem derepente homines prosternere. Etsi enim à solis causis internis tanta tamq; subitanea violentia proficisci nequeat; nihil vetat tamen tale quid fieri à causis externis, quæ vi quâdam venenatâ præditæ sunt. Certe venena quamplurima subitò putrefacere posse, non humores duntaxat, sed

etiam

etiam solidas corporis nostri partes, multiplici experientia plus quam satis est compertum. Ab ejusmodi autem caussis externis produci pestem mox fiet manifestum.

XIIX.

Inquirendum videlicet nunc porrò est in causas malignæ illius pestilentis putredinis, atque adeò in causas Pestis nonnihil remotiores. Ubi primò in quæstionem venit, num pestifera putredo possit in corporibus humanis oriri, si non accedat aliunde aliud aliquid putredinem ejusmodi producere idoneum, Dicimus si non accedat. Posse enim ab exortâ aliunde putredine confieri multa putrida, quibus vis deinde sit in aliis corporibus cæteroquin sanis putredinem pestilentem ciendi, fere vacat dubitatione. Cæterum nihil si præcesserit putrefaciens, haud credimus sponte sua in corporibus humanis putredinem pestilentem posse produci. Nec verò ita credimus, imbuti illis argumentis quibus nonnuli propugnant, quod venenosi nihil in corporibus hominum sponte queat nasci: fatemur enim illa nullius esse ponderis: quanquam nec illa sint satis valida, quibus alii contrarium adstruunt. Argumentum autem nostrum est: quod hactenus nullo experimento fide digno sit ostensum, tale quid pestiferum sponte ita natum esse. Quod autem hactenus factum non est naturæ viribus, illud nec fieri potest naturâ; cum nihil naturâ fiat quod non ante sit factum.

XIX.

Quicquid igitur in corporibus nostris pestilentem putredinem producit, illud non potest non foris advenire. At ejusmodi causæ morbum, aliæ interdum vires naturæ solent excedere, aliæ & quidem pleræque naturalibus agunt facultatibus. Ac de Peste quidem nonnulli credunt, eam semper a causis supernaturalibus proficisci, nonnulli non-

nunquam. Quos inter mediâ nos viâ incedentes, interdum supernaturalem plerumque naturalem ejus originem esse asserimus. Illam dicimus, quando immediate à Deo, aut infestis Spiritibus Pestis exoritur. A Deo autem, vel solum Dei jussu ab angelis pestem aliquando immediate concitari, docent nos multæ Pestium sacræ historiæ. Talis enim utique fuit illa quâ primogeniti Ægyptij perierunt: talis qua Davidis tempore septuaginta hominum millia tridui spatio extincta sunt: talis etiam illa, quâ centum octuaginta quinq; millia exercitus Sennacheribi Assyriorum Regis unâ nocte è medio sunt sublata. Supernaturalem originem omninò quoque habuerunt illæ Pestes, quas mali dæmones interdum excitaverunt: quarum exempla solent ex Nicephoro, Philostrato, Jamblicho, Gregorio Nysseno aliisque recitari. Etiam vero huc pertinent plæræque illarum Pestium, quas Sagæ sive pharmaceutriæ magicis præsidiis solent commovere. Quanquam etiam ad illarum productionē adhibeantur res nonnullæ, illæ tamen potius valent ut symbola quædam sive sacramenta visibilia invisibilis maleficii magni, quam naturali virtute: quæ fere est communis natura Magicorum. Magicis autem mediis interdum produci pestem solere, docent cum veteres tum recentissimæ historiæ fide dignissimæ. Talem enim Pestem jam tum olim descripsit Livius *lib 8. Decad. 1.* quæ Romæ sævierit: tales complures alias quibus plurimi laboraverint, narrat Cedrenus Zonaras Nicephorus aliique. Talem longe recentissimam commemorat & Hercules Saxonia. *Nemini inaudita est, scribit* Athanasius Kircherus *l. de peste sect 1. cap. X. horrenda illa pestis, quæ anno 1630. Mediolanum ad ultimam prope ruinam vexavit; cujus origo uti acta docent, ab execrandis sceleratorum hominum maleficiis, qui sive ab hostico furore magnâ pecuniæ vi propositâ allecti, sive*

con-

concepto in morum censores odio, veneni quoddam genus ...
prorsus violentiâ refertum, utique Cacadæmone auctore & dire-ctore confecerunt; quod templorum postibus, domuumque postis, scamnis, fenestris illitum, vel ad minimam contrectationem homines ad inevitabile mortis periculum deduceret. Et quoniam hominum morientium nullus finis, nec ulla tantæ mortis antidota superesse videbantur, ad superna auxilia per publicam precum indictionem, processionum piè divinæ misericordiæ supplicantium apparatum jejuniorumque observationem confugere, ut divinæ rigor justitiæ flexus tantis castigationibus tandem finem imponeret; unde nova processio instituta &c. Addit paulò post processionem sacram institutam quidem esse, de veneficis vero subdit: *turbæ itaque hominum numerosissimæ sese insinuantes, vestibus supplicantium præparatum inserebant venenum; unde mox ingens exorta strages publicam solemnitatem suspendit.* Paulo post scribit: *unguentum illud, illumq; pulverem pestiferum, earum fuisse virium, ut non haustu duntaxat malum fuerit propagatum, sed vel odore susceptum intra paucas horas interemerit.* Quin subjungit Kircherus, *similem pestem veneficorum operâ introductam anno 15. Mediolanum & Genuam expertam esse. Historicos item Franciæ testari, pestem illam longe vehementissimam quæ anno 1320. Franciam pene exhausit, ab intoxicatis aquis fontium, puteorum, cisternarumque profluxisse.* J. Bodini verba sunt l.4. de Magor. dæmonoman c.4: *Apud Pedemontanos fœmina quædam nomine Androgyna videbatur, cum intraret in alienas ædes & paulo post homines interibant: comprehensa itaque sagarum omnium, consortium ejusdem maleficij, retexit conjurationem (erant autem quadraginta fermè quæ exteram januarum manum ad enecandos homines pertingebant. Id tum MDXXVI accidit. Genevæ quoque postea idem effectum est anno MDLXVIII, ubi ad septennium fuit pestilentia, ex qua occubuerunt multi.* Idem l.4. c.5. sub finem scribit *Memini me in Malleo malefica-*

vum legere, Pestem de vico Germaniæ in agro Constantinensi non abi-visse, donec sagam quandam humo eruissent, & in cinerem redigissent corpus. Hæc Bodinius. Quam crudeliter ante hoc biennium præter propter sævierit Pestis ex venefico orta in nonnulla Silesiæ loca, prodiderunt nobis novellæ hebdomadariæ, uæ appellantur. Nec cuiquam temere est ignotum quid nuper admodum veneficus vespillo conatus fuerit Magdeburgi in viciniâ. Ex quibus quamvis paucis manifestum utiq; est id, quod asserimus, Pestem interdum â virtute quâdam supernaturali solere exoriri.

XX.

Magis dubium est, num ab astris sive fluat interdum, sive in hoc aëre producatur vis ejusmodi pestifera. Quamvis autem à quam multis non ex vulgo tantum hominum, sed etiam ex eruditorum ordine strenue affirmetur, si non utrumq; saltem alterutrum: non dubitamus tamen asserere, neutrum horum, multò minus utrumque vel experientia vel ratiocinatione firma posse probari, atq; adeo omne hoc merè esse commentitium. Sane multis conatus est & Athanasius Kircherus *sect. 1. cap. 11. l. de Peste* id probabile reddere: non potuit tamen ullum fide dignum experimentũ, multo minus firmam aliquam ratiocinationem adferre in medium. Quod tamen saltem in mathematico doctore, quo nomine cumprimis Kircherus potissimam laudem hactenus sibi comparavit, neutiquã potest tolerari. Adeo absurda porro sunt Kircherianæ doctrinæ postulata, ut nullo modo queant admitti. Quale est: *astra esse composita ex quatuor elementis: Martem & Saturnum exitiali virtute insignes esse, illum quidem virulentiâ nescio quâ hunc vero frigiditate oppido nociva:* ut & quod docet *sect 1. cap. 11. §. 3. maculas Solis esse eructationes morbosas, & aperta intra viscera Solis latentis peregrinæ fuliginis indicia:* item, *cometas ut plurimum ex evaporatione solaris corporis,*

ris, dum vehementius æstuans ingentes in æthere fumos ejaculatur, generari. Ejusmodi autem multa & alia ille adfert, nullis tamen experimentis multò minus demonstrationibus ullis instructus, quamvis mathematicus: à quo nihil erat exspectandum nisi alterutra ratione firmiter probatum.

XXI.

A Cœlo igitur pestiferum nihil quidem provenit. Quoniam tamen certum est, forinsecus affici corpus nostrum; primo omnium videbimus, quale illud sit, quod pestilentem affectum producit. Atque nonnulli quidem dicunt, *Spiritum illud esse sylvestrem fermento mumiali tinctum.* At reapse hoc ludere potius est, & ænigmata fingere, quam aliquid vere docere. Portenta enim quidem verborum audias, sed vix quidquam aliud. Quid enim illud est, *Spiritus Sylvestris?* quid est, *tinctum esse mumiali fermento?* Utq; tandem hæc possint intelligi, arguunt tamen asserentium talia vanitatem: quũ nullo argumẽto addito talia proferantur. Merito igitur hæc quidem contemnimus, ceu examine serio indigna.

XXII.

Alii inter quos est & Sennertus, statuunt pestiferum illud externum venenum aliquod esse. Verum etiam illis merito reponimus illud Philippi Scherbii ex th. 28. disputationis de Pestilentia: *Qui si fatentur impropriè se loqui, & veneni nomen populariter & latiori quadam significatione usurpare, ferendi sunt. At per se & proprie sumptum, (ut Medici in suis scholis accuratè inter perniciosum, malignum, pestilens & venenatum sive venenum distinguunt) sine ullâ dubitatione negamus & pernegamus in peste esse venenum. Quod si interdum (quod in Galliis aliquando à Iudeis factum scribunt) putei veris venenis inficiuntur, ita ut neque putredo, neque contagio ulla in aquis appareat: proprie hoc malum non erit Pestilentia.* Aliquid tamen

veneno simile in Peste omnino agnoscimus. Perinde enim scilicet atque venena homines plerumque cito è medio tollunt, ita & in homines sævit virus pestiferum. Cæterum & venena admodum sunt varia, nec uno modo possunt repelli. Hinc nec si venenosum quid dixeris in Peste esse, jam atis explicasti Pestilentis causæ naturam. Chymicorum nonnulli id deprehendentes lucem aliquam addere conati sunt. Eoque venenum illud nunc arsenicale, nunc mercuriale nunc viperinum nunc napellinnm esse docuerunt, quasi nimirum illis venenis sit analogum. Nec vero saltem ille conatus rem illustrandi, est improbandus. Attamen quoad effectum raro est inter illa venena & virus pestiferum convenientia: & illorum quoque venenorum natura est fere incognita. Proinde etiam isthæc doctrina parum aut nihil juvat. Suffecerit fortassis dicere, pestiferum illud eâ esse naturâ, ut â calore nostro concoqui nequeat, ipsum autem summâ pollere vi & penetrandi in sanguinem atque ad cor usque, & putrefaciendi sive corrumpendi. Nec tamen cum Andrea Cæsalpino *l.1. Quest. medic. 12.* quem sectatur Scherbius, dixerimus, causam ejus, quare superari à calore nostro aut concoqui nequeat, esse crassitiem partium. Etsi enim quæ crassiora seu παχυμερῆ non facile superentur, non tamen hoc solis convenit: sunt enim talia quædam λεπτομερῆ, quæ scilicet in subtilissimos spiritus possunt resolvi, incoctilia tamen sunt: ut ex adverso sic satis multa crassarum sunt partium (qualia utique sunt omnia alimenta) & tamen possunt à nobis concoqui. Non sane firmo satis argumento sententiam suam Cæsalpinus stabilivit: utique non iis, ut Scherbius merito dixerit th, 25. Cæsalpinum γεωμετρικῶς docuisse. Porro neque id audemus profiteri, quod primus nempe affirmavit ingeniosissimus Kircherus, virus pestiferum plærumque animarum

 esse,

esse, sive constare ex plurimis exiguis vermiculis. Neque vero hoc quidem Smicroscopiorum adminiculo, vel ille vel quisquam alius expertus est. Neque est ulla in promptu ratio quæ id demonstret. Et verò qui possint omnia pestifera seminaria in aere volitantia smicroscopiis explorari? Qui possint eadem smicroscopiis videri, etiam simulac jam corpus aliquod infecerunt? Nec vero est ulla vis consequentiæ in illâ Kircheriana collectione: vermes in Peste frequenter generantur; ergo & ipsa Pestis seminariâ vermiculi sunt. Sane non minus ferè ridicula est collectio illa, atque nonneminis alterius; qui non nisi paucis illis Kircheri aliquot experimentis subnixus, audet intrepidè pronunciare: in omnibus ex putredine ortis morbis verminosam progeniem reperiri, nec aliunde esse cephalalgias contumaces, dolores pleuriticos, rosiones stomachi & intestinorum, convulsiones epilepticas, & podagricas (ut ille loquitur) torturas.

XXIII.

Antequam inquisitionem in naturam pestiferi venoni deseramus, non possumus non advertere in sententiam Joannis Helmontij, quam proposuit eo libello, cui titulus *Tumulus Pestis.* Est autem illa adeo novis & portentosis verbis proposita, ut commodum sensum vix liceat assequi. Videtur autem hic esse. Malignum aliquod externum virus exipitur primum ab eo, quod appellat *gas fracidum*, sive sero sanguineo haud coagulabili; hinc Archeus (ita autem vocat opificem & directorem spirituum vitalium) perterritus, idæam sive imaginem Pestis concipit, ut officio suo haud amplius satisfacere queat: ita pestifero veneno aperitur via, ut possit totum corpus corrumpere & perturbare. Aliter Helmontij mentem exponit Kircherus sect. 2. c. 1 & quidem quasi venenum pestilens in ipso Ar-

cheo sit collocatum: eoque sensu Helmontium oppugnat. Et vero difficile est mentem hominis assequi, quoniam sermone utitur non perspicuo, qualis debet esse eorum qui docent, sed ænigmatico, qui solet esse nugatorum. Quæcunque vero fuerit hominis mens, plena est ineptiarum & absurditatum. Et verò satis est ad ejus refutationem, quod omni careat argumento: Quod sane nullâ fulcitum ratione, nec experimento constat, illud vanum est figmentũ. Porro & Archeus ille totus est fictitius ac fabulosius. Utque phantasiam eo nomine intelligas, non est phantasiæ Spiritus vitales fabricare. Nec satis constat, quid spirituum vitalium nomine Helmontius intellectum voluerit. Virus pestilens porro excipi primũ sero sanguinis, nec ratione nec experientiâ est compertum. Multò minus est compertum, quod virus illud nihil possit in corpus nostrum nisi perterritâ phantasiâ. Imò vero experientia multiplici est notum, pestilentes morbos natos in ijs, qui nullo terrore fuerunt affecti, imò in ijs qui de Peste ne quidem ente cogitaverunt. Saltem bruta animantia vetat pestis idæas sibi non possunt formare, & tamen peste sæpius corripiuntur. Quod si Helmontius voluit (ceu ejus mentem exposuit Kircherus) venenum pestiferum confici ab Archeo & in Archeo ipso hærere, adhuc obscurior est sententia. Quasi scilicit phantasia ipsa possit reddi venenata per imaginationem. Sed & ipse Helmontius vult, venenum pestilens etiam post mortem superesse, atque ita contagio nocere posse: impossibile autem utique est, phantasiâ jam per mortem è medio sublata phantasmata sive imagines phantasiæ superstites esse.

XXIV.

Etiam Helmontianis itaque delirijs sepositis, proximum est uti porro indagemus, unde nam virus pestilens exter-

externum proveniat, & quomodo corpora humana inficiat. Non dubitandum vero est, frequentissimè corpora nostra ab aëre infici. Id enim experientia docet multorum seculorum. Nihil sanè commodius ad propagationem pestilentis veneni aëre est; ut qui si fuerit infectus, & per os aliasque vias corporis patentes, aut per poros cutis insensibiliter ingressus, aut attractus, fermentum pestilens sanguini facillime communicat; quod deinde pestilentem in corpore fermentationem excitat, atque Pestem causatur.

XXV.

Suscipere autem Aer potest pestilens venenum non quidem immediate à cœlo & astris, ceu jam tum suprà probavimus; facile tamen ab inferioribus, Quanquam non negaverimus astra pro diversitate motus & συζυγίας varias in aëre mutationes efficere, atque ita & producere putredinem aliquam posse aut corruptionem in ejus qualitatibus primis, imò & posse concitare halitus subterraneos virulentos, qui aerem queant inficere.

XXVI.

Potest autem Aër multis de causis recipere virus pestiferum: per autem est verisimile, omnium frequentissime id fieri ab exhalationibus pestiferis subterraneis. Utique enim certum est ex sulphure, ex argento vivo, & arsenico similibusque noxios fumos exhalare: aërem item diu conclusum in specu aut foveis, si non perspiret, homines subito posse necare, quod exhalationibus subterraneis refertus sit. Quamvis enim tales exhalationes in apertũ in prodeuntes non semper solent esse noxiæ propter paucitatem, & quod ventis longe lateque trajiciantur; interdum tamen ea est illarum copia atque malignitas, ut diu hæreant. Peregregie de exhalationibus illis disseruit *Cæsalpinus l. 1 de metallicis c. 4.* & quidem usque adeo eleganter, ut sermo ejus

merca-

mereatur hic à nobis repeti: *Aliquando in Peste diffunditur exhalationis malignitas in longinquum, ut totas provincias inficiat, quod tetigisse videtur Thucidides, cum in Peste Atheniensium inquit: Forte per continuum ex Æthiopia quædam fluxere putredinis contagia. Oriri autem hæc ex pravâ evaporatione subterraneorum illud argumento est: Nam quæ ex cadaveribus putrescentibus in prælio, aut ex palustribus putrefactis fiunt, loca tantum vicina afficiunt, non universas provincias occupant. Oportet igitur universaliorem causam esse; aut cælum, ut quidem putant, aut dispositiones terrestres, quam sententiam sequitur Avicenna. Quamvis enim cælum sit prima causa omnium alterationum, quæ hic fiunt, longinqua tamen est, ut inquit: dispositiones vero terrestres propinquæ sunt. Corrumpi autem aërem à multitudine exhalationum, indicant signa Pestem prænunciancia; ut cum in aere apparent multæ impressiones ignitæ, stellæ cadentes, cometæ & hujusmodi, & cum turbulentus est Aër, & veluti pulvere infectus: significant enim multam evaporationem præter ordinem naturalem. Nam quemadmodum constitutio pluviosa aut ventorum spiratio aliquando universalis videtur, multas provincias accupans, ita idem contingere potest in constitutione pestilenti, ut terra afflet universim pravas evaparationes diu conclusas, unde aëris turbulentia & malignitas sequatur. Quoniam vero omnia metallica terrestria sunt, ut explicatum est, etiam evaporationes eorum terrestres sunt: atque ob id plerumque post magnas siccitates sequntur Pestes, & succedente constitutione australi, quæ materiam putredinis foveat: ut patet in constitutione descripta ab Hippocrate 3 in 3 Epidem. Fit autem plerumque excessus pravæ exhalationis in terræ motu. Ex concussione enim tali necesse est commoveri latentes in terræ visceribus evaparationes: pro diversitate autem ipsarum, varia genera morborum oriri: non enim ijdem in omni peste vagantur.*

XVII. Præ-

] Præter hanc ab inquinamentis aut exhalationibus pestiferis aëris corruptionem, vulgò à doctissimis Medicis creditur, propriâ quadam aëris putredine posse pestiferum virus in aëre nasci. De quo modo generationis pestilentium morborum ita philosophatur doctissimus *Scherbius th.39.40. & 41. Sequitur secundum, quod itidem à cœlo inferri solet: sed alio tamen modo. Non enim jam halitibus putridis pestilens est: sed potius, quia aut constitutiones plane inter se non responderunt neque τὰ ὥρια ὡρίως sese habuerunt: aut quia diuturnâ caliditate & humiditate, sive incitatioribus ventis, aut saltem alterutrâ intemperie corporibus humanis vi putrefaciendi pestifer factus est. 40. Vbi tamen diligenter videndum, in Austrinis præsertim constitutionibus, quæ cœli constitutio eam vel antecedat vel sequatur. Frigidam & siccam antegressam fortassis emendabit: ut & contrà illa quoq; hujus remedium esse potest. 41. Videndum etiam illud, Non semper eo ipso tempore, quo Aer intemperiem aliquam graviorem nobis imprimit, pestilentibus morbis nos protinus urgeri, sed in aliud tempus interdum eos proferri: quod aliquando nihil mali facit, aliquando vires superioris exacuit, aliquando debilitat.* Hæc ille. Etsi verò non temere dissentiamus à viris eruditione præstantibus, hic tamen cogimur saltem ἐπέχειν: idque quoniam quidem satis compertum sit, quod ex intemperatis illis constitutionibus aëris morbi varii Epidemii nascantur, vere pestilentes tamen morbos aliquando sic ortos esse nulla firma experientia demonstraverit. Et verò longè frequentius utique fuerint morbi pestilentes, si illi hinc queant oriri: cum tales constitutiones depravatæ septemtrionales hasce regiones frequentissimè infestent. Quicquid hujus sit, nos malumus in dubio id relinquere, quam certi aliquid asserere.

Præter Aerem porro & Victus poteſt peſtilens virus hominibus facile communicare. Videtur tamen alio id modo fieri: nempe non immediate, ſed potius mediate, hoc eſt dum â pravo victu ſenſim in hominibus naſcitur inſignis humorum putredo, quæ facile poteſt virus peſtilens excipere, atque illi eſſe quaſi pro commodiſſimo fomite. Et verò pravus at communis victus, quo in annonæ defectu in urbium obſidionibus & in caſtris miſeri mortales uti coguntur, dum famis urgente rabie, quodlibet quod ſors ſuggeſſerit, in nutrimentum (uti ſunt interdum forte mortui canes, feles, mures, aſini & equi, herbarum radices pernicioſæ, panis ex glandibus, furfuribus, aut corrupto frumento confectus) aſſumitur, mirum non eſt, ſi ex depravatis alimentis depravati in humanis corporibus humores, ad peſtis geneſin apti vel hujus virulentæ putredinis receptores, naſcantur. Eademque carnium eſt ratio: nimirum alimento altius ſe inſinuante, humores neceſſariò depravantur; accedente vero externi aëris ſimili depravatione, laborantis jam interdum ſatis ſinceri, quidem, caliditate tamen, quæ promovet putredinem, multa laborantis, continua inſpiratione, humores jam diſpoſiti naturæ quadam ſimilitudine aëri juncti, eam tandem quam diximus funeſtam peſtis fœturam excludunt. Idem de fructibus in genere dicendum; tantò hâc rerum conſtitutione periculoſioribus, quanta putredinis vitioſæ capaciores ſunt. Exemplum hujus rei inſigne videre licet apud Plutarchum in *vitâ Alexandri Magni*. Sic Rolandus Capellutus lib. de Peſte ſcribit: *magno regnante calore, ex commeſtione carnium porcinarum mille hominum ſunt infecti ac perierunt.* Narrat quoque Athanaſius Kircherus ex Gregorio Turonenſi; ſub Felice Papa & Ze-

& Zenone Imperatore post famem incredibilem, secutam esse Pestem sævissimam, quæ in ultionem offensæ divinitatis totam Africam unâ depopulatione vastavit; Hinc sane jam olim apud Græcos abiit in proverbium: μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός.

XXIX.

Cæterum quomodo sive aëre sive victu mediante, queat Pestilentia excitari, ex hisce quæ diximus, satis est manifestum. At cum vulgo sit notissimum, per sæpe hoc malum ex locis cum vicinis, tum dissitis aliò posse transferri, nullo aeris nullo victus vitio (cujus rei tristia exempla ante hos duos annos vel vicinia nostra nobis dedit satis luculenta) ratio nunc postulat, ut ad causam pestis propagantem contagium scil. accedamus. Etsi enim (ut Thesi 6. dictum est) multi doctissimorum medicorum dubitaverint, an omnis Pestis sit contagiosa; posito tamen non omnem Pestem esse talem, verissimum tamen est, ex omni morborum genere hunc morbum esse contagiosissimum, & in hoc causæ morbificæ communicationem cum aliis omnium maxime esse perspicuam. Dicimus autem contagium esse, medium sive seminium è corpore ægro emissum, per quod affectus similis alii alicui corpori, quod habile est ad recipiendum similem morbum, communicatur. Medium illud vel est vapor, vel impurus & inquinatus humor, vel sordes, vel excrementum quoddam, quod in corpus aliud similem affectum producere potest. Est vero nulli non notum, tria ad contagii propagationem pertinere. 1. Agens primarium seu corpus crassum contagem efficere potens. Secundo ipsum illud quod communicatur: & Tertio quod à communicato patitur. Agens illud primarium semper laborat eo affectu qui in alio corpore excitari debet. Nimirum non ipse morbus sed seminium quasi morbificum per contagium proxime communi-

munі-

municatur, atque sic similis specie morbus in patiente producitur. Medium per quod in aliud subjectum inducitur contagium, μίασμα est seu morbidum aliquod effluvium mole quidem exiguum at virtute longe potentissimum. Tenue illud ac subtile est, ut facile queat penetrare; interim alicujus lentoris particeps, ut corpori inficiendo aliquandiu possit adhærere. Communicatur autem illa ἀποῤῥοιά νοσερά alteri corpori aut mediate aut immediate. Immediate, cum inter corpus infectum & inficiendum nullum intercedit medium, sed simpliciter se contingunt extremitatibus; mediate sive in distans, quando aeris intermedii præcipue vehiculo μιάσματα in eodem contenta communicantur. Aer namque ubi ab infectis corporibus contagii seminium susceperit non solum per vias corporis patentes sed etiam per poros cutis se insinuant. Fomitem autem contagii suppeditant corpora maxime porosa & foraminulenta, in quibus facilime & recipiuntur & delitescunt μιάσματα. Talia vero imprimis sunt, linteamina, ac vestes è lino lanâ aut gossypio confectæ, plumæ item ac pelles animalium pilosorum, in quibus satis diu isthæc posse asservari experientia testatur. Præter hæc porro etiam alia quam multa; de quibus operose & docte disserit Athanasius Kircherus *sect.* 2. *c.* 4. Tertium contagii requisitum est corpus, quod sibi imprimi contagium patitur, illudque non quodvis obvium, sed certum & determinatum, aptum atque dispositum. Eoque cum alios facilius aut difficilius corripi peste videamus, illud vel in cordis nativum robur, vel in analogiam corporum inficiendorum cum infectis merito referendum est. Et sane multa experientia est comprobatum, consanguineos à consanguineis facilius affici; indubie quod similem plærumque naturæ habeant affinitatem;

unde

unde & sæpius integras familias hac lue delectas esse constat.

XXX.

Antequam hinc discedamus, attingendum à nobis & illud est: utrum solius imaginativæ seu phantasticæ potestatis energiâ, pestis contrahi possit: haud secus ac mulieres gravidæ fœtibus suis earum rerum, quas aut vehementi vi imaginatæ sunt, aut ardenti desiderio depereunt, in exteriori cutis superficie inprimunt characterismos. Verumenim vero licet affirmemus & nos illud Aristotelis *libro de motu cap. 6.* quod phantasmata non solum corpus alterent, sed quodammodo tale quid fiant, qualis res ipsa est: quin imò ut addit Amplissimus Dominus Præses in prorsus aureo suo libello de Calido innato cap. 24. *Si calor vel extra corpus speciem lucis potest accendere, ipsamet autem luce animi phantasmata longe altioris sint virtutis, non magis admiratione dignum est, quî phantasmata calidum innatum cordis possit immutare, quam qui calor possit à luce accendi:* nulla alia externa causa adjuvante pestem excitare posse haud credimus: idque cumprimis quod hactenus experientia non sit compertum, vel unquam contigisse. At vero phantasiâ, vel metu aut terrore effici, ut facillime quis possit corripi à pestifero veneno, quod alias potuisset repellere, omnino concedimus. Metu scilicet & timore subito intus abripitur quod fortasse delituit adhuc in habitu corporis: cumque calor nativus sic fiat debilis, non ille potest resistere ceu par erat virulentiæ. Si nimirum subito quisquam alium sibi de peste suspectum aut suppellectilem infectionis labe contaminatam attingat, aut tetrum & virulentum odorem percipere se existimet, mox ingenti horrore de contagione conceptâ sollicitus, concutitur, jamque veluti de vita actum suspicans, miris modis agitatur: unde inquietus & immensâ percussus tristi

tiâ mortis imaginem semper præ se fert, phantasticæ facultatis violentia omnibus passim humoribus conturbatis: tandem animo ad ea inducti terroris ludibria dispellenda minus sufficiente, cor metu contrahitur, atque ad extremum vitalis ignis ex mœrore & melancholicæ fuliginis adspiratione quasi condensatur, extrinsecus haustum semen pestiferum in intimis recessibus excipit; hoc vero mox summo furore totam corporis oeconomiam evertit. Imaginationem quippe terror, terrorem melancholia & mœstitia cordis trahit; unde condensato veluti igne nativo facile recipere potest extrinsecus adveniens virulentum contagium: quod semel intromissum insita sibi virtute ac proprietate calidum vitale imbuit. Facultas Imaginativa igitur ex se & suâ naturâ pestis effectrix non est, sed solummodo humores dispositione quadam habiles reddit; quibus dispositis externum & peregrinum virus in iis suas, ad totius humani corporis ruinam, machinas explicat & reliquum totum sibi simile reddit.

XXXI.

Cæterum de caussis Pestis fortè satis prolixè actum est. Differentiæ autem Pestis vel ab ejusdem caussis vel ab accidentibus petuntur. Ratione namque causarum, alia Pestis ortum trahit ab aere, alia à victu, alia à contagio alia à veneficio alia ab alia causa. Ratione accidentium: alia gravis est & magna quæ multos non solum invadit, sed eos pene omnes paucis exceptis jugulat. Alia levis, quæ nec tam multos corripit, nec etiam quos invasit omnes interficit. Alia febrem aut alios morbos conjunctos habet, alia est sine febre aut sine illis aliis. Mitto differentias alias: cum possint ex iis quæ jam tum attulimus facile repeti.

XXXII.

Medici non eo fine Pestis naturam investigare student,

dent, ut duntaxat, quid Pestis sit, sciant, sed ut imminentem præcaveant & præsentem tollant; id vero præstare non possunt, nisi & eminentem prævideant & præsentem agnoscant: necessarium proinde est signa Pestilentiæ tum imminentis, tum præsentis intelligere. Ea autem sunt vel diagnostica vel prognostica. Illorum verò alia sunt Pestis imminentis, & dicuntur remota; alia præsentis & vocantur propinqua. Remota Pestis signa vel ab ejusdem causis, vel ab effectis desumuntur. A causis petita signa sunt; si aeris aliqua anomalia præcesserit, si multæ impressiones ignitæ, stellæ cadentes, aut cometæ apparuerint; si aer turbulentus & veluti pulvere infectus sit: si aquarum inundationes fuerint: si pravæ ex terræ speluncis aut cavernis prodierint exhalationes; si terra fuerit mota; si nebulæ malignæ, aut pluviæ inusitatæ, frequentes fuerint: si cadaverum insepultorum ingens alicubi fuerit copiâ; si fames aut pravus victus urbem aut regionem aliquamdiu incommodaverit: si denique malum pestilens in loco nobis vicino grassetur.

XXXIII.

Ab effectis petita sunt marcor plantarum germinumque. Nam quæ ex terra proveniunt, teste Hippocrat. *l. de locis*, ipsius terræ naturam sapiunt, & sequuntur, vitiatâ itaque terrâ, vitiantur omnia reliqua, quæ ab eadem producuntur: quod & Galenus noster notavit *lib. de element. cap. 9.* Huc facit fungorum ac boletorum varii generis exoticorum, vermium ac insectorum, bufonum item & ranarum caudatarum uberior genesis: si mures aliave animalium genera in terræ latibulis degentium solita, vel aves item nidos ac pullos suos deserant: si ranæ aut pisces passim in aquis mortui supernatent: si gravidæ mulieres frequenter levi de causa abortiant. Futuræ tamen pestis

hoc

hoc indicium magis confirmare videntur varii communes morbi maligni, publice grassantes plurimosque interficientes, quales fere sunt febres petechiales, variolæ ac morbilli, anthraces & carbunculi, dysenteriæ, pleuritides, anginæ, hepatides omnes epidemiæ: fidem enim faciunt isthæc omnia malignitatem aliquam communem sensim nobis obrepere.

XXXIV.

Atque hæc quidem fere sunt signa Pestis imminentis. Pestem jam præsentem quod attinet, cum Pestis variorum morborum larvam instar alicujus Prothei sæpius induat, antequam in multos sævitiâ suâ debachetur, vix certum aliquod signum pathognomonicum nobis suppeditat; Quod si tamen quis etiam unum observetum symptomata pestilentium affectuum, uno quasi momento, nulla præeunte manifesta causa, pati, Medici prudentis fuerit de Peste suspicari. Si vero talia symptomata jam simul multos invadant, & illorum quos invasere plærique, pereant, certo est indicio, Pestem à causarum supra datarum aliqua communi provenire, atque sic pluribus etiam posse communicari.

XXXV.

Reliqua Pestis signa vel ab ejusdem causa: vel ab actione vitali, animali, naturali læsâ: vel ab excretis: vel denique à mutatis qualitatibus deducuntur. A causa Pestis quod proditur signum est contagium. Adeo certe Pesti conjuncta est contagio, ut ipsemet Mercurialis *l. de Peste c.3.* adactus fuerit affirmare, omnem Pestem esse contagiosam. Non tamen contagium est Pestis in quarto modo proprium: cum plurimi alii dentur morbi contagiosi qui tamen pestilentes non sunt. Interea tamen cum Pestis ex omni morborum genere illam per contagium se propagandi potentiam quàm maximè habeat, si positis aliis circumstantiis alios ab aliis clanculum infici videamus, jure merito de Peste suspicio oboriri debet.

XXXVI.

XXXVI.

Longè certius vero signum pestis petitur ab actione læsa vitali. Nam si nulla præcedente causâ manifestâ subita ingruat virtutis vitalis dejectio, quæ deinde animi deliquia, syncopen, cordis anxietatem, ejusque palpitationem, crebram at difficilem respirationem post se trahit, cor maxime affici certissimum est: ut pote cujus virtus longe magis hîc quam in ullo alio morborum genere collabascat. Hoc sane Peste affectorum pulsus parvus obscurus & languidus frequens & inæqualis manifesto docet. Nec enim par est assentiri Helmontio, qui ex pulsu Pestem præsentem negat cognosci posse: nisi id intellectum voluerit, de solo pulsu, aliis signis sepositis.

XXXVII.

Non rarò porro Animalis & Naturalis facultas multum laborat in Peste. Sic interdum peste correptos vigiliæ excercent, interdum in somnum est propensio involuntaria, interdum & capitis dolor, deliria vertigo tremor, convulsio & id genus alia incommodant. Quandoque inappetentia, nausea, vomitus vehemens sitis, singultus, cardialgia, colica, dysenteria simul affligit: signum autem est, materiam malignam ad ventriculum & intestina ruere. Humoribus præterea à latente virilentia corruptis, febres plærumque foris quidem mites, intus intolerabiliter ardentes producuntur. Vnde sitis consequitur inexhausta; quod & in Peste Atticâ memorat Thucidides: prorumpuntque in exterioribus partibus exanthemata, maculæ, bubones, & carbunculi.

XXXIIX.

In excretis etiam pro varietate humorum varia redduntur. Vrinæ namque non raro sanorum plane similes sunt; nonnunquam tamen apparent & crudæ, nonnun-

quam turbidæ ac crassæ, interdum acres biliosæ ac malæ olentes, aliquando rubræ, lividæ, nigræ & oleaginosæ. Quod argumento est ex urinis certum pestis indicium peti haud posse: quod etiam Helmontio est observantum. Sudores sæpenumero sunt frigidi, fœtidi nihil levantes. Alvinæ excretiones fiunt parvæ fœtidi male ac varie corolatæ acres. Adest perfrequenter & stillicidium sanguinis acris ex naribus. In qualitatibus mutatis signa sese hæc produnt: varia exanthemata variæque maculæ sparsim in cute erumpunt: corpus totum malè olet, fœditumque quid exspirat: Facies cadaverosa apparet ac vere Hippocratica: Oculi vivido suo splendore destituuntur flentium oculis non absimiles: Lingua est nigra scabra & sicca, sapore salso vel amaro vel alio ingrato atque exotico vitioso inbuta. Horum signorum vero quædam cum aliis morbis itidem sint communia, non tam sunt creta, etsi quædam huic inspecie morbo magis propria sint.

XXXIX.

Prognostica si in quo alio, certe in hoc morbo tanquam omnium perniciosissimo & fallacissimo plane sunt incerta, atque fluxæ ac malæ fidei. Attamen videtur minus periculi imminere, si vel ex prava victus ratione natales trahat, aut quoquomodo per contagium sit propagata, quam si ex corrupto ac pestifero aere producatur; cum ejusmodi aëris constitutio per se longe sit gravissima, maximasque mortalium strages edere soleat. In genere porro illa pestis minus letifera merito creditur, quæ signa pauciora aut magis obscura obtinet, atque virium majus aliquod robur conjunctum habet, ut spes vitæ major supersit. Vires igitur si non penitus sint dejectæ: si pulsus non sit adeo debilis, sed in magnitudine celeritate ac frequentiâ à naturali mediocritate non multum declinet; si tumores pestilentes

subito

ſubito & confertim in loco ignobili & à principe parte remotiore, cum ſymptomatum aliquâ remiſſione, prorumpant, citoque ſuppurentur, bonique ſint coloris; ſi medicamenta, cibus item & potus vomitu non reiiciantur, ſi ſudores cum allevatione fiant; bono id eſt ſigno. Contra ſi magna Virium ſit debilitas; ſi tumores non ſatis erumpant, vel circa cor aliamve partis nobilis regionem emergant, aut mox iterum evaneſcant: ſi animi deliquium aut cordis tremor infeſtet; ſi vigiliæ deliria aut convulſiones incommodent: ſi vomitu omnia rejiciantur; ſi extrema frigeſcant præcordia vero intus ardore flagrent: ſi ſudor ſit frigidus, aliave febrium malignarum ſymptomata ad ſint: malum.

XL.

Cæterum de ſignis pro inſtituti ratione fortè plus ſatis: Ad currationem itaque tandem eſt progrediendum. Verùm cum illa duplex ſit, Prophylactica & Therapeutica; Medici autem officium ſit, non ſolum Peſte correptos liberare, ſed ſanos quoque ab eâ tueri, de prophilaxi primo loco dicemus: præſertim, cum facilius longe tutiusque ſit peſtem præcavere, quam eandem præſentem ex corpore expellere. In memoriam verò ante omnia revocandum eſt id quod ſupra diximus: Peſtis cauſam aliam eſſe ſupernaturalem aliam naturalem. Curationem itaque nunc tradituri proxime ſumus non illius prioris, ſed alterius poſteriori; generis. Conſiſtit igitur naturalis præſervatio poſt imploratam opem divinam partim in duobus: nempe in cauſarum Peſtem producentium remotione, aut ſi illarum cauſarum præſentiam effugere penituſque evitare non liceat, ſaltem in eo, ut illarum vis infringatur, & corpora ad recipiendum peſtiferum venenum minus diſpoſita reddantur. Inter alias verò cauſas cum primas te-

neat aër, sedulo allaborandum, ut quantum fieri potest, vel mundus conservetur, vel si jam tum infectus sit, ab inquinamento repurgetur. Illud, causarum aërem inficientium remotione fit. Si ergo exhalationes è terræ cavernis evaporent, arctissime quoad licet claudantur; si à cadaveribus, profundissime illa sepeliri oportet; si ex aquis putrefactis aut stagnantibus, puræ ac celeri lapsu currentes superinducantur, & fluidæ reddantur. Plateæ ac viæ publicæ ab omni sterpore, fimo aut fœtore liberæ sunto. Si vero Aërem jam infectum esse contingat, exemplo Hippocratis & Acronis maximorum Medicorum, igne purgetur, ex pini, quercus, lauri vel Junipere lignis: vel ex herbis Lavendula, Salvia, Rosemarino, Ruta: ex baccis vero lauri & Junipere. Ex Sulphure ex nitro & pulvere pyrio suffumigia fiant, ut quæ magnam vim aërem alerandi & purificandi vim habeant. Bombardæ item, præsertim majores frequenter explodantur: quoniam & motus ille vehemens discutit incumbentem malignum aerem, & vis fumi consumit μιάσματα pestifera.

XLI.

Porro si Pestis publice in loco aliquo grassari incipiat, omnia cum loci istius incolis commercia & conversationes prohibeantur, atque inde advenientes sævissime abarceantur. Conventus item publici parcius celebrandi, nundinæq; in talia incidentes tempora interdicendæ penitus. Mendici similesque errones in urbem ne intromittuntur, intromissi vel ejiciuntur, vel certo loco continentur: si tamen forte quis præter opinionem inficiatur, à reliquis nondum infectis cum omni suppellectile separandus ædesque suffumigiis mundandæ. Nihil horum quidem in Græcorum Latinorumque veterum medicorum monumentis suasum reperire est; omnino tamen hæc agenda sunt ad evitandum

con-

contagii progressum: cujus vis in Pestilentia videtur antiquis illis minus fuisse cognita.

XLII.

Quod si vero per contagium jam latius se diffuderit malum, tutissimum erit locum infectum cum alio & quidem longe dissito commutare: quod & alias statim circa prima initia omnium est securrissimum. Cæterum cum omnibus vel ratione officii aliarumve circumstantiarum illud non liceat; corpus imprimis muniendum & ab omni impuritate liberandum, ne venenum pestilens facile recipiat, aut si receperit fortius resistere possit. Quod in universum bona diæta ac medicamentis intus & exterius adhibitis efficitur. Nec enim est quur ad illa confugiamus, quæ Romæ ferunt nuper fuisse ab aliquibus laudata: ut nempe quis includat sese vitreo musejo, aut frontem & os obvellet rostrato quodam schemate; ad aëris scilicet noxam evitandam. Partim enim inepta illa sunt, & stolida: partim obsunt potius quam prosint.

XLIII.

Diætæ nomine intelligimus legitimam administrationem sex rerum non naturalium: ut sunt Aer, cibus & potus, somnus & vigiliæ, motus & quies, excerta & retenta, & animi perturbationes. Aër quomodo publice sit purgandus aut emendandus, superius diximus. Magnam vero rationem aëris esse habendam tempore contagii, venerandus jam tum olim ipsemet Hippocrates *l. de natura humana* his verbis inculcaverat: *primo providendum, ut quam paucissimus aëris influxus in corpus ingrediatur. Secundò ut ille ipse quam peregrinissimus existat* (hoc est interprete Galeno) *nullo inquinamento corruptus, sed sit purus attenuatus odoratus & salutaris.* Sic & Avicenna *lib. de Peste cap. 4* bonis odoribus spiritus maxime oblectari a putribus vero lædi, scribit. Priva-

tim ergo varijs suffitibus ex storace, ladano, myrrha, santhalis, thure, succino linguo aloes, floribus arantiorum, rosarum, pulvere Cypri alijq; similibus, aut etiam vaporibus exaquis odoratis acetisq; bezoarticis, excitatis commode corrigitur. Sugillat quidem Helmontius suffumigia ejusmodi, idque quoniam etiam odorata illa possint excipere contagiam pestilens, quodque illis suffumigijs, sæpe nihil efficiatur. At verò hæ objectiones nullius sunt momenti, utpote quum talia possint objici omnibus quæ in Peste adhibentur remedijs.

XLIV.

Victus leges exquisitæ cum raro serventur, aut servari possint ab omnibus, temere is mutandus non est. Interim angue peius & cane vitandus qui facile potest corumpi, aut pravum aliquem succum suppeditat corpori. Contra verò quorum fert conditio optimo, & qui boni sit succi facilisq; concoctionis, utantur. Talem suppeditat fere ex carnium genere virulina, vervecina, hædina, caponum, perdicum gallinarum, columbarum, turturum, alaudarum ac similium montanarum ac sylvanticarum avium: inter pisces lucij, porcæ, funduli, aurata, cæterique pisces saxatiles reliquis merito præferuntur; Panis inter albissimum & nigerrimum sit quodammodo intermedius, bene fermentatus, mediocriter salitus, probeque excoctus. Potus sit naturæ familiaris, non varius, neque multis foecibus abundans, sed defoecatus & ad sustentationem non voluptatem sufficiens. Ex herbis, borrago buglossum acetosa in jusculis decoctæ Ex fructibus mala punica acida, mala citria, aurantia & cydonia propter vim diureticam & bezoarticam laudantur. Imprimis vero laudanda tali in constitutione est sobrietas quâ solâ, teste Æliano *l. 5. variar cap. 15.* Socrates in ferocissima Peste Atticâ immunem se præstitit. cui plane ille in ciborum

borum varietate luxus adversantur dum corpora nostra variis cruditatibus replet. Condimenti tamen loco cibis corroborantia cor & venenis resistentia adiici possunt.

XLV.

Vigiliæ excedentes (eo quod valde desiccant humores incedunt, viresque plane deiiciunt) morbo huic plane sunt contrariæ summus nocturnus vires restaurando & corpus humectando humorum inflammationem impedit eoque valde conducit, quare omnia se habeant moderate: In motu & quiete mediocritas requiritur. Quies tamen hoc in morbo videtur præferenda, quod in motu corporis vehementiori magis crebra requiratur respirandi necessitas, unde aër infectus facile potest ad ima cordis penetralia adduci; tum quia hoc pacto facile humores commoventur atque in iis incendium inducitur.

XLVI.

Excrementa corporis nisi debite ac naturaliter foras eliminentur, sed vel errore aliquo aut quovis alia de causa substiterint, variorum morborum causas producere posse experientia probat. Idem autem hic evenire posse non dubitandum. His vero qui hac ratione laborant, aut sorbitiunculis ex emollienti decocto, aut suppositoriis, aut clysteribus (si opus fuerit) omnino succurrendum.

XLVII.

Animi perturbationes hic multum posse, superius quoque à nobis dictum. Neque mirum (ut cum Heurnio loquamur) quod subitaneo metu pestis perculsi eam in se pelliceant: Spiritale enim venenum syntimoria quadam se vitalibus Spiritibus consociat. Egimus vero jam tum supra altius de vi & efficacia metus ad pestilentium affectuum producendam pestem: eoque non opus est isthæc nunc repetere. Quantum igitur possibile, omnes attentæ cogitationes de Peste animo excutiantur

XLIIX.

XLIIX.

Sequitur nunc ut de materia remediorum quam Chirurgia suppeditat, dicamus. Laudant sane plurimi doctissimorum medicorum usum cauteriorum & fonticulorum, tanquam quibus in gravissimis pestilentiis plurimis sint servati, eò quod hoc pacto pravi humores & ad corruptionem idonei commodum ad corporis peripheriam retrahantur. Nec sane id sine causa. Operæ fuerit pretium hic audire quæ de cauteriorum & cantharidum usu ad πρϕ οφύλαξιν disseruit Kitchnerus sect. III. cap. 4. *Cauterium* (ait) *præpotens esse ad vitandum pestem remedium omnes fere fatentur Galeni sectatores; ita quidem ut quod Mercurialis de Peste Venetâ, id ego de Romana quantum ex Medicorum fide dignorum relatione mihi innotuit, asseverare queam; nullum hujusmodi naturæ signatum spiraculis, peste invasum fuisse, nisi forsan nonnullos dissolutioris vitæ Epicuri de grege porcos. Quosdam tamen invasos continuis inguinum, femorum, brachiorumque frictionibus adhibitis, insidiantis veneni impetum per cauteria tandem eduxisse. Novi Medicum dum Nosodochio in pestiferorum curam deputaretur, quinque sibi prius caureriis inustis, aliisque præservativis instructum, junctâ imperterriti pectoris magnanimitate, inter medios morientium cœtus, integrum incolumemque semper exstitisse. Sunt & Medici qui Peste jam infectis ultimum remedium existiment cantharidum applicationem, complu resque hoc medio, potentique medicamenti afficatia, veneni pestiferi vi, à cordis arce avulsa, pristinæ sanitati restitutos, quod non improbo.* De venæsectione multi dubitant an hic locum habeat; plurimi id negant, affirmant alii, Verum nos cum prioribus negativam tenemus, nisi forte ab insigni plethoira periculum immineat. Aliàs enim vires summopere exinde debilitari vel ratio suadet. Vires tamen integræ & firmæ, si in ullo alio morbo, hic quam maxime desiderantur.

XLIX.

XLIX.

Purgationem fore proficuam ratione præservationis, concedimus; præsertim si corpus plurimis vitiosis humoribus sit refertum. Ita tamen, ut à vehementibus ac validè elective purgantibus, qualia ex colocynthide aut scammoneo præparantur, à chymicorum item mercurialibus & antimonialibus, plane abstineamus; cum talia venenum pestilens, quod fortassis receptũ est & adhuc latet, minime ex corpore deturbare possint; sed potius humores agitando in infimum ventrem protrudant. Vnde insignis aliqua diarrhœa & quæ hanc excipit virium dejectio, facile insequitur, aliaq; prava symptomata accersuntur. Leniora, tamen, qualia sunt Folia Sennæ, Agaricus, Rhabarbarum, Syrupus Rosar. solativ. Electuar. lenitiv. Diacathol. pillulæ Ruffi, tutius longe usurpantur; idque ad corporis lenem à puttridis humoribus evacuationem.

L.

Corpore ad impuritatibus sic rite purgato, sudorem aut idoneis medicamentis promovere studeamus, aut exercitiis moderatis, ut si forte inquinamentum aliquod in corpore fuerit receptum, per diaphoresin expellatur. Et vero valet diaphoresis, non minus ad præcavendum, quam ad expellendum pestilens venenum. Eoque expedit etiam ad præcavendum, frequenter usurpare illa quæ leniter ad habitum corporis propellunt per διαφόρησιν. Cumprimis verò peste jam nonnullis affectis ad alexipharmaca post Deum optimum maximum confugiendum est. Quæ tamen cum potius experientia quam ratione sint inventa, maxime ex iis eligimus ea, quæ longo rerum usu ac fida experientia sunt comprobata, novis ac gloriosis nonnullorum secretis plane posthabitis; experientiam enim facere per hominum mortes, iniquum & abominandum est. Illorum autem è

Simplicibus hæc aliis præferuntur: Radices Angelicæ, Zedoariæ, Tormentillæ, Gentianæ, Scorzoneræ, Valerianæ, Vincetoxici, Dictamni albi, Succisæ, Imperatoriæ, Olsnitii, Helenii, Iridis, Calami aromatic. Herb. Acetosæ Carduibened. Dictamni Cretici, Rutæ, Scabiosæ, Scordii, Ulmariæ. Flores Hyperici Calendulæ. Baccæ Juniperi, Iuglandes, mala citria. Lignum Aloes, Santalor. Terra sigillata, Bolus Armen. Lapis Bezoar. Cornu Cervi, Unicornu, Camphora, Crocus, Macis. Ex compositis hæc magis sunt famosa: Theriaca Andromachi, Mithridatum; Confect. Liberantis, Electuar. de Nucibus, Theriaca diatesseron, & de Citro. Merentur vero de hisce omnibus cumprimis legi, quæ magno studio in unum congesserunt singularibus libellis Antonius Snebergerus & Henricus à Bra, præstantissimi & diligentissimi medici. Recentiores his postmodum adnumerant Electuar. de ovo, de gemmis, Camphorat Kegleri-Theriac. German. Tabernæ montan. Diascordium Fracastorii, Pulv. Cæsaris rubeum & gryseum, Saxonicũ. Confection. Macis Elixir pestilentiale Crollii & Tychonis de Brahe, item Electuarium Orvietani & similia. Ex quibus tam simplicibus quam compositis, pro cujusvis prudentis Medici intentione ac scopo, cum ad internos, tum ad externos usus, varia medicamentorum genera componi possunt.

LI.

Discrimen tamen omnino faciendum esse temporis, ætatis, sexus, aliarumque circumstantiarum, summê necessarium est. Quare iis qui temperamento sunt calidiore, juvenilis ætatis, tempore æstivo, minus calida, sed calidiora aquis & syrupis acetosis aliove modo temperata, exhibemus, quæ caliditatis excessum infrigant. Infantes etiam ac gravidæ, calidiora atque fortiora medicamenta non ferentes, lenioribus atque temperatis curantur, additis duntaxat, quæ fœtum confortandi vim habent.

LII.

Quoniam vero cumprimis hic est consulenda experientia, magna vero olim laude in pestis præcautione pariter ac curatione versatus est Hippocrates; ex re profecto esset, si quibus ille usus fuit, nos sciremus. At vero nihil in antiquorum monumentis reperire est: præter unum illud, quod ad aeris malignitatem avertendam, vehementem ignem Hippocrates, sylva etiam incensa, excitaverit. Kircherus quidem sect. 3. c. 7. Hippocraticam aliam pestis curandæ rationem describit. Verum illa tota desumta est, quamvis dissimulato nomine, ex Tumulo Pestis Helmontii. Helmontius verò non illam accepit, ceu par erat, ex antiquis monumentis; sed, si quidem ipsi credimus, ex revelatione alicujus Spiritus. Hinc ita orditur suum Hippocratem redivivum: *Homo quidam, custodi angelo eudæmoni familiaris, oravit ut à Deo impetraret remedium per quod Hippocrates Græcorum pestem popularem curavit. Dixit eudæmon: Hippocrates usus est sulphure sale & pice. Quod responsum post se relinquit obscuritates priores. Hinc factum quod homo ille postmodum dixerit: his temporibus sat dictum esse.* Ipsemet Helmontius mox subjungit suam aliquam prolixam explicationem: sed quæ item tota est conficta ab illo homine, & quidem imprudenter ficta. Quod vel ex eo patet: quia non dubitavit docere, sulphur à primo Hippocrate dictum esse θεῖον, idq; quoniam sulphure curasset pestem: Græcos item pestem primo & deinde omnem febrem cœpisse appellare πῦρ, quod observassent Hippocratem uti igneis remediis ad curandam pestem: quum tamen utraque vox in ea significatione fuerit dudum ante Hippocratem in Græcorum usu, ceu liquet ex Homeri & aliorum scriptis. Quicquid igitur sive Helmontius sive Kircherus habent de Hippocratica curandæ pestis ratione, non nisi commenta sunt, eoque xplodenda.

LIII.

Licet porrò multi in ea ſint opinione, virtutem amuletorum ex metallicis præcipuè petitorum maximam eſſe in hoc malo profligando, ac propterea miris laudibus evehant appenſa Arſenicum & Hydrargyrum: dubia tamen nituntur experientiâ. Imo non dubitamus Arſenicum plane noxium pronunciare: quicquid etiam glorietur Quercetanus. Commendant alii xenexeton Paracelſi. Sed recte Kircherus, *quoniam idipſum* (ait) *immenſis ſuperſtitionibus refertum eſt, ei à nemine fides adhibenda eſt, cum ſimilia vix unquam, ſine expreſſo aut implicito pacto diaboli effectus ſuos ſortiantur.* Recte etiam ipſemet Helmontius, magnus cæteroquin Paracelſi admirator & ſectator, non dubitat profiteri, Paracelſum nec naturam nec curationem peſtis noviſſe, eoque in ſcriptis ſuis de Peſte & inconſtantem eſſe & inaniter glorioſum, nec dignum cui quicquam credatur. An porro majoris fidei ſit quod uſque adeo vehementer commendat Helmontius, amuletum ex bufone præparatum, merito quislibet dubitet: cum nec ipſe ejus vim ſit expertus nec alius quisquam poſt illum, etiam ex Helmontii ſectatoribus. Quicquid ſane hujus Kircherus habet id totum fide Helmontii nititur: ipſemet ejus nihil eſt expertus. Quare in exhibitione alexipharmacorum debita nos quidẽ plus ſpei reponimus, quam in dubio infidoq; iſtorum amuletorum uſu.

LIV.

Succedit tandem Curatio quæ pro naturâ, more, celeritate ac malitia morbi, tempeſtiva non ſolum, ſed omnium accuratisſima eſſe debet. Occaſio enim præceps: ſemel amiſſa irreparabile damnum poſt ſe trahit. Quippe niſi huic malo, ſtatim atque adoritur hominem, quam ſtrictisſime obviam eatur, fruſtrà fiunt quæ inpoſterum conamur, ubi

venenum

venenum in imis cordis penetralibus jam resederit, aut calidum vitale ferocius debellaverit. Statim igitur atque aliquem hoc morbo correptum esse cognovimus, tutissimum erit, imploratâ prius ope divinâ, ex alexipharmacis enumeratis, appropriatum aliquod remedium eligere (quantum quidem humana conjecturâ assequi possumus) quod sine morâ ægroto exhibeamus, & veneno opponamus, quo malitia veneni non solum infringatur, sed simul etiam ex corpore expellatur. Neque id tamen (ut supra quoque monuimus) sine discrimine, sed habita ratione naturæ, sexus, aliarumque circumstantiarum. Sic sanè magis mitiora magisque temperata infantibus, gravidis, atque puerperis, propinamus; fortiora admittunt viri aut statæ ætatis homines, quique aliàs hactenus usi sunt bonâ valetudine.

LV.

Post sumptum vero Alexipharmacum diaphoreticum, æger ad sudorem se componat; hac tamen cautelâ, ne nimio sudore vires frangantur. Sudor vero si hoc pacto sequi nolit, vapore aquæ calidæ, cui diaphoretica sint incocta, aliove modo conveniente promoveatur. Finito sudore indusium ac stragulæ mutentur; tum æger linteis calidis detergendus; ab omni cumprimis aëre frigido muniatur, cibisque εὐχύμοις atque εὐπέπτοις moderatè reficiatur. Cum autem non parum sæpe vires à veneno ac sudoriferis debilitari contingat, inter sudandum totiusque adeo morbi decursu, Syrupo vel conservâ violarum, rosarum borraginis bugloss. acetos. Succo Citri Granatorum Ribium, Confect. de Hyacintho, cum aquâ aliquâ appropriatâ, revocillari potest. Naribus aquæ adoratæ, aceta, balsama pomambræ: Cordi epithemata corroborantia admoveantur. Quanquam verò Pestis sit morbus acutissimus, victus tamen tenuis, qui alias acutis à causa non venenatâ

nenatâ dependentibus, debetur, hic non competit. Sed, cum vires ut plurimum debiles ſint, ægri cibis, qui in parvâ licet quantitate maximam nutriendi vim habent, reficiantur. Talia autem ſunt jura conſummata ac reſtaurantia; quibus alterantia alexipharmacis miſta, pro caloris excedentis aliarumque circumſtantiarum conditione, addi poſſunt.

LVI.

Somnus initio morbi omninò parcior, aut planè prohibeatur, antequam æger bis terve ſudaverit; ne cum ſanguine venenum ab ambitu corporis ad interiora trahatur. Poſtquam verò vis veneni aliquantum remiſerit, quantum ad virium refectionem neceſſarium eſt, poteſt concedi.

LVII.

Si porro (quod ſæpius accidit) medicamentum aſſumptum vomitu rejiciatur, aliud exhiberi illicò oportet, iterumque aliud, donec intra 24 horarum ſpatium vel tertiò repetatur alexipharmaci hujus aut alterius uſus. Ratio namque ſvadet, ſi plura uſurpentur, quod ab uno ſperari non poterat, ab alio promptius nos conſecuturos.

LIIX.

Peſtis præterea quidem per ſe neque Venæſectionem, neque Purgationem indicat; multisque doctiſſimorum Medicorum obſervatum eſt, in plærisque peſtilentijs plus damni quam commodi ægros ex utraq; percepiſſe, & utraque vires debiles magis dejici: hinc raro utraque in uſu m eſt trahenda. Vide Pareum *l. de Peſte c. 24.* Fonſecam *de ſanitate tuenda c. 27.* Foreſtum, Saracenum & alios. Si tamen in corpore plethora deprehendatur, unde febris periculoſæ metus immineat, aut ſanguis ad loca inconvenientia ruat, vireſve copia oppreſſæ ſint; ſtatim initio antequam vi veneni vires frangantur, Venæſectio parcior inſtitui poteſt,

teft, idq; intra fpatium 12 aut ad fummum 24 horarum, ... loco, ubi natura remotionem veneni a corde mollitur; minime vero ubi posſit in ſuo recto motu impediri.

LIX.

De Purgatione illud tenendum eſt: nullo cathartico medicamento ſeminarium peſtis poſſe expelli, ſed ſæpe humorum motu concitato lethales vomitiones ac diarrhoeas eſſe excitatas. Lenientia tamen (ubi opus eſt, nec aliud quid obſtat) non prohibemus. Fracta jam nimirum malignitate veneni, ſi corpus parvis abundet humoribus, benedicta cum fructu uſurpari poſſunt.

LX.

Bubones & carbunculi, qui plærumque peſtem comitantur, ſi naturâ à principibus partibus ad corporis ambitum ejusque emunctoria propellantur, naturæ conatum modis omnibus adjuvemus. Si namque bubones lentius prorumpant aut etiam plane iterum evaneſcant, præter interna alexipharmaca, materiam venenatam pullis columbarum aut gallinarum vivis, circa podicem deplumatis & forinſecus impoſitis, bufonibus exſiccatis, cataplaſmatis aut emplaſtris attrahentibus, (in quorum cenſu illud magneticum Angeli Salæ laudatur merito à multis) vel illo quod ex cœpe & theriacâ componitur, impoſitis, attrahere omnino congruum eſt.

LXI.

Poſtquam verò tumor ſatis prodierit, medicamentis maturantibus ſuppurationem recte promovemus. Si autem hiſce medicamentis a dperfectam ſuppurationem tumorem perducere non valemus, neque æger melius habeat, nec ſymtomata minuantur, illâ non exſpectatâ, veneno, ſive ferro ſive cauterio ſive veſicatorio, ſive alijs commodis remediis, exitus parandus eſt. Quo facto, tutò licet:

cet maturantibus inhærere: post vero ad digerentia & mundificantia veniendum. Tandem materiâ venenata expurgatâ, & ulcere mundificato, sarcoticis & epuloticis id consolidamus.

LXII.

Carbunculi statim sunt scarificandi, idque satis profundè. Tum adhibeantur ea, quæ venenum attrahendi & malignitati resistendi vi pollent. Si verò dolorem & calorem nimium comitem habeant, cataplasmate frigido simulque anodyno aliquo is sopiatur. Cæterum ne venenum semel evocatum ad interiora relabatur, devensivo aliquo circumposito præcaveatur. Si demum eschara forte fuerit inducta, convenienti aliquo unguento illa dematur, ulcusque mundatum carne repleatur. Nonnulli ad anthraces pestilentes multum laudant Sapphirum impositam: imò svadent margines tantum anthracis quasi circumscribere sapphiro, sic enim attrahi omne venenum ad peripheriam illam circumscriptam. Et Helmontius quidem *l. de magnetica vulnerum curatione* summè sapphiri illum usum commendat, non dubitans sapphiro tribuere vim occultam attrahendi virus pestilens, etsi fuerit jam remota ab anthrace, imò non dubitans hoc exemplo evincere velle, quod agentia nonnulla naturalia in longe distans objectum operentur. Utrum vero tantis laudibus effectus respondeat, merito dubites: cum vix quisquam scriptorum narret sibimetipsi comperta, sed alienâ fide. Ipse etiam Helmontius in *Tumulo Pestis* valde parcus est in sapphiri laudibus § *Xenexton*, præfertque Sapphiro Hyacinthum non ullo experimento subnixus, ceu decebat, sed illo ridiculo atque inepto argumento, quod Sapphirus fuerit locatus in pectorali sacerdotis Judaici non autem Hyacinthus, diserte etiam § *signa* Smaragdum laudans ait: *Referunt;*

runt : & mox subjungit; *ego autem semper in dubiis bufone pulverisato sum usus*. Vt vel hinc appareat, incomperta hominem alibi usque adeò laudavisse, & non nisi futili exemplo vim agendi in distans atque magneticam vim vulnerum curandarum ostendisse. Et verò siquid sapphirus potest in anthracibus, valet vi refrigerandi, quâ etiam potest ardoribus aliarum febrium prodesse.

LXIII.

Cæterum de iis quæ ad præservationem pariter & curationem Pestis illius, quæ à naturalibus causis dependet, faciunt, pro instituti quidem ratione plus satis dictum est. Etsi enim plurima alia symptomata illicò soleant Pestem comitari, cum tamen alii quoque morbi quammulta eorum habeant cum Peste communia, earumque curationes passim apud Practicos legi possint, nos hic pedem figimus. Addendum nunc nonnihil restat duntaxat etiam de Peste, quam à supernaturalibus causis interdum oriri, jam tum supra agnovimus. Nec vero hujus sive cavendæ sive curandæ eadem est cum naturali illo Pestis genere ratio atque conditio. Quæ proinde quemadmodum sese habeat, par est haud ignorare.

LXIV.

Ante omnia verò danda est opera, ut supernaturalem Pestem à naturali Medicus queat discernere. Igitur cumprimis ad symptomata & omnes Pestis alicujus exortæ conditiones & circumstantias accuratè est attendendum: utrum scilicet illa omnia ejusmodi sint, ut à causis naturalibus possint proficisci, an verò vim talium causarum excedant. Hoc sane si fiat judicatu est facile, quod Pestis non sit naturalis. Si non fiat, non licet tamen sævam illam Pestem solis naturæ viribus vindicare: utpote quum interdum divinum aliquid (ut cum Hippocrate lo-

 quamur)

quamur) lateat in morbis, etsi effecta supranaturalia haud appareant. Quam igitur difficile sit sæpe, Pestem naturalem â supernaturali discernere, nemini non manifestum est. Potest tamen etiam, saltem ex parte, in tali Peste supernaturale sive divinum quid observari ex eo, si optima quæque remedia, quæ alibi & omni aliàs in Peste naturali utilia experta sunt, non tantum parum prosint, sed videantur etiam quasi violentiam pestilentem intendere. Excedere autem interdum Pestem vim naturalium virium, deprehendere utique facile fuit in Peste, quâ soli primogeniti in Ægypto universi unâ nocte perierunt: quæ in pœnam Davidi Regi fuit divinitus prædicta, & cujus causa, angelus nempe Domini, oculis Regis fuit exhibitâ: quâ item unâ nocte universus exercitus Assyriorum interiit. Hæc enim vim naturæ excedunt. Si verum etiam est, quod ferunt, Maximino Imperatore solos gentiles peste occubuisse, salvis Christianis, etiam illa utique divinitus inflicta fuit. Idem dicendum de Peste illa, quam ferunt tertiam quamvis domum infecisse reliquis intactis. Non par vero fuit ratio illius Pestis, quæ solos primum sutores corripuit: cujus supra meminimus; oriri enim illa potuit ex coriis pestilente veneno infectis. Et verò fuisse talia ista coria, testatur & Kircherus. Sed omnia supernaturalia à naturalibus hoc loco discernere nimis longum fuerit.

LXV.

Quod præcautionem attinet, videntur hæ pestes, si sint ab ira divinâ, non facile evitare posse. Quando tamen à magicis veneficiis dependent, possunt tutissime caveri mutatione loci: si nempe emigres in loca remotiora. Fortassis non abs re etiam fuerit, ubi ejusmodi Pestis Magicæ suspicio est, uti iis, quæ adversis incantationes comperti

perti sunt commodi. Ad Magicæ porrò Pestis sævitiam infringendam, imò & sopiendam, nihil utilius videtur, quam veneficos ipsos jam manifestos è medio per supplicia tollere. Hoc modo sanè Pestem Mediolanensem, cujus meminimus th. 19. ex Kirchero, tandem desiisse, ipsemet attestatur: antea ingenuè fassus nihil sacris Processionibus, & circumlato Caroli Borromæi corpore, quo Mediolanum nihil sanctius colit, effectum esse. Non etiam desiit Pestis Magica illa Silesiensis nuperrima. Huc pertinet, quod ex Joanne Bodino, thesi illa modo citatâ, adduximus de Peste, quæ nonnisi combusto sagæ jam demortuæ cadavere finita est. Similes autem & in Italiâ accidisse, testatur Hercules Saxonia. Fortè & Magica fuit Pestis Romana, quæ Adriano VI. Papa sæviit in Vrbe illâ. Magicis certè remediis cessit. Quam rem non possumus non narrare verbis Pauli Jovii, qui illo ipso tempore vixit Romæ, atque adeo optime fuit rei gestæ conscius. *Exorta est* (inquit) *in urbe Pestilentiæ lues, quæ cum severis legibus, more nostro, Pontifici minime cohercenda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, ut multa funera in compitis viserentur, appareretque vastari urbem, haud multo dierum spatio: nisi Græculus, nomine Demetrius Spartanus, sedandæ Pestilentiæ, favente ei turba hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionem vetare auso. Nam ferum taurum, cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato, repente ita mansuefactum reddiderat, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet perducens, Pestilentiæ placando numini ad amphitheatrum immolasset. Nec credulæ multitudinis spem ex toto fefellit: cum ab ea inanis sacrificij prospera litatione, mitescere morbus cœpisset.* Hæc ille. Quam tamen sedandæ Pestis rationem nemo prudens piusque laudaverit: ac proinde nec in usum medicum assumpserit. Longè optimum remedium in-

dubiè à divinâ benignitate est exspectandum: qui idcirco calidis votis est sollicitandus.

LXVI.

Peste ejusmodi quis, sive vere divinâ sive magicâ affectus, optimum item auxilium necesse est à Deo solo petat. Nec enim temerè audemus in aliis magnum præsidium collocare: quum hactenus experientia nos deserat. Nam quæ aliis utilia sunt alexipharmaca, interdum aliquid valere, itidem compertum non est: imò potius illa nullius esse usus, res ferè jam docuit. Quin fatendum igitur potius est, in talibus pestilentiis fere frustrà esse medicam omnem opem. Unde & nos non possumus non sermonem omnem de Peste abrumpere: Deum precari, ut ejusmodi mala procul à finibus nostris esse, velit ac jubeat.

F I N I S.

